Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 259
Quelle:
Copyright:

tribunali Poenitentibus, Judicium *Gwilerini* (Guilelmi Philaſtrii) *Card. Presb. S. Marci* a *Martino* V. Pont. requiſiti in favorem Venditionis et Redemtionis Cenſuum una cum *Bulla* ejusdem Pontificis data *Rome apud Sanctos Apoſtolos VI. Non. Julij Pontificatus a.* VIII. (1425) qua declaratur, *quod contractus burgenſes wlgariter purckrecht* (ejusmodi Obligatio videlicet Bonorum) *nuncupati ſint liciti.* Directa eſt ad *Archiep. Gneznenſem*, et *Epp. Lubicenſ. et Olomuc.* Petitio vero mota dicitur a Clero, Nobilibus et Incolis *ciuitatis et dioc. Vratislauien.* Initium: *Regimini vniuerſalis eccleſie quamvis immeriti* &c. Epiſtola affecta ad Pontificem et Praelatos de Cleri Reformatione, Quaeſtio: *Utrum aqua benedicta ſit ad aliquam efficaciam ſpiritualem ab eccleſia inſtituta*, demum *Rubrica*, ſeu ſuccincta Tractatio *de Sacramentis.* Quin ipſis Quaeſtionibus ad *fol.* 152. interjectus eſt *Joh. Gerſonii Tractatus de Contractibus*, ut *Vol.* I. P. 1. *col.* 230.

CLXXVI.

U. 140 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 335. f. eſt *Pars III. Quaeſtionum in Matthaeum*, ejusdem conditionis cum jam relatis. Prima enim ejus Quaeſtio rurſum movetur in C. I. *An congruum fuerit virginem mariam futuram chriſti matrem viro deſponſari?* et mox altera in C. XV. *Utrum occaſione religionis ſint pretermittenda pietatis officia in parentes?* Finit in Quaeſtione: *Utrum lex euangelica ſit usque in finem ſeculi duratura* &c. et totus hic Adparatus inter uberrimos cenſendus eſt, qui quidem in *Matthaeum* extant. A *fol.* 278. Codex variis Notis ex omni Theologia occupatur.

CLXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 73 Folior. 317. 4. currente calamo perſcriptus eſt *Pars* II. Expoſitionis *Evangelii Matthaei* in *Viennenſibus* Scholis lectae, a C. videlicet IX. usque ad finem.

II. ſuccedit *fol.* 288. ſimilis Expoſitio *Prophetiae Baruch*, cujus initium: *Diuino auxilio ſuffragante pro ſecundo meo curſu lecturus baruch ſecundum benignam ac paternam diſpoſitionem Matris mee eximie facultatis ſcilicet theologyce ſemper fecunde habeo pro preſenti recommendationem ſacre videlicet pagine* &c. Autor nullibi proditur.

III. *fol.* 313. ipſe Textus *Prophetiae* adſcriptus eſt.

CLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3044 XIV. ineuntis Folior. 122. f. per duas columnas charactere craſſiuſculo exaratus, rubricis diſtinctus, et quondam *Monaſterij S. Dorothee Wienne*, cui, ut ad calcem legitur, *teſtatus eſt D. Johannes capellanus*, in folio praevio inſcriptus eſt: *Incipiunt poſtille domini Alberti* (ab alio ſuperpoſitum *magni*) *epiſcopi ymbripolenſis de ordine fratrum predicatorum.* Et alia manu: